



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Finitus-ne, an infinitus, indefinitus-ue sit in Domo Sapientiae
Columnarum numerus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

OPUSCULUM V.
COLVMNÆ

Domus Sapientiæ

Seu

Ædificii Spiritualis.

S E R M O I.
PRIMÆ COLVMNATIO
Domus Sapientiæ

A R T I C U L U S I.

*Finitus-ne, an infinitus, indefinitus-ve sit in Domo Sapientiæ
Columnarum numerus.*



VNERVM exprimit accuratè Architec-
tis Sapientiæ amanuensis: *Excidit Colum-
nas septem.* Sed id bifariam exponi potest.
Primo, ut intelligantur præcisè sex & una,
Pars III: impar

impar numerus: Deinde, ut Septenarius numerus finitus, certusq; sumatur pro indefinito, ac incerto, & designet multas: quomodo ferè locum illum Proverbiorum accipiunt Interpretes, & Architecturæ Salomonicæ præclarus illustrator Villalpandus. (a) Neque est id in Sacra-Scriptura inusitatum, in qua Septem frequenter universitatem significant. Tum quia septem diebus Mundus est conditus: tū quia partes Septenarii sunt totus impar, scilicet ternarius, & totus par, nempe, quaternarius. Vnde, quod nos legimus in Cantico Annæ matris Samuelis primo Regum secundo cap. *Donec sterilis peperit plurimos*, alii ex Hebræo legunt, *septem*: ita LXX. Interpretes, Divi Chrysostomus (b) & Cyprianus: (c) Iterum libro III. Reg. XIX. *Derelinquam mihi in Israël septem millia virorum*: quod idem est, ac quàm plurimos. Eodem sensu profani, Ter & Quater usurpāt: *O terque quaterque beati! Septies in die cadit justus*, id est, sæpius, Proverb. XXIV. *Septuagies septies* condonandum proximo delinquenti, dicitur apud Matthæum & Lucam. (d) *Si septies in die*, (e) id est, frequenter, *peccavit in te, & septies in die conversus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Hoc modo si accipiantur Columnæ septem, indicant universitatem quandam virtutum. Verum illas nos solum Columnas nominabimus, & ut tales, describemus, quæ peculiarem habent cum Columnis materialibus convenientiam; ac proinde Columnarum simbolo solent denotari; in sacro volumine.

(a) Villalp. Tom. 2. lib. 3. cap. 29. (b) in Genes. hom. 19; (c) ad-
ver. Hebr. lib. 18. (d) Matt. 18. (e) Lucæ 17.

Tertia Pars:

Dd

AR